

§. 23. Voluntariam illam non esse, satis constat exinde, quod nobis invitis sæpenumerò operetur. Nec obstat irritata à nobis scientibus volentibusque sternutatio; nisi velis concoctionem etiam inter spontaneas recipere actiones, quam ingestò cibò provocamus. Id enim, quod in irritando hinc voluntarium est, ad sternutationem non minùs ac concoctionem pertinet, tantùm antecedenter. Utraque verò in se ac formaliter spectata purè est naturalis. Hinc neutra habet aures ad percipiendum voluntatis imperium. Nobilior in hac parte est oscitatio, ex oscitatione alterius nata, juxta tritum illud; *Oscitante unò, oscitat & alter.* Hæc enim cum à Phantasiâ pendeat, quæ alterius gestum, instar simiæ, amat imitari, gigni potest connivente voluntate, eaque prohibente suffocari, ceu in seipso quilibet potest experiri; sed sternutatio, positis omnibus ad agendum requisitis, te æquè invito ac volente, in actum erumpet.

§. 24. Naturalem igitur hunc influxum esse oportet, qui in contractione primùm, & insequente dilatatione videtur consistere. Tunica enim, quando irritatur, se contrahit quadantenus, iterumque mox extendit, vimque, quâ gaudet, expultricem exerit. Vide *Mercat. qv. 180.* & ex eo *Schoock. p. 37.38.*

Causa remota

§. 25. Hactenus de causa efficiente propinqua. Præter hanc autem dantur aliæ, remotiùs ad eundem effectum vel intra vel extra nos concurrentes, ejusque productionem adjuvantes.

1. Interna,

§. 26. Primum inter has locum assignamus spiritui aut vaporì tenui interno, qui tunicam attingit haud rarò, & ad sternutandum irritat. Meminit quidem Aristoteles, saltem non in omnibus de sternutatione Problematibus, spiritûs similis, quem *πνεῦμα ἀθρόον* vocat, sed hic illi potiùs est materia, quæ sternutando discutitur, quàm causarum efficientium una.

§. 27. Spiritus autem hic irritans in sanguine, ad arterias affluente, latere facileque prorumpere potest: non aliter ac in terra effluvia spirituosâ venis suis egredi, materiamque dispositam ad terræ motum provocare solent.

§. 28. Sicut autem hic spiritus æquè ad sternutationes steriles aut siccas, ac ad fœcundas aut humidâs, tunicam potest excitare: Sic ad fœcundas multum contribuit humor in vicinitate collectus,